



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem Sancti Thomæ Tomvs ...

Complectens ad viginti sex Quæstiones priores, centum & septem
Disputationes in Capita diuisas

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1621

Opinio Alberti, & Thomistarum. c. 5.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80983)

etiam si aliquis propter auctoritatem simul fide
7. crederet articulos, & illorum haberet evidentiā,
paratus nihilominus credere sola auctoritate, non
tamen esset vnus, & idem assensus fidei, & eui-
dentiæ circa conclusionem ex articulis deductam,
sed illa duplici assensu esset nota; vno quidem
ex principiis fide creditis, altero vero ex princi-
piis euidenter notis. Hic verò assensus non
esset præcipue propter auctoritatem, sed propter
solam rationem, vt constat. Tunc autem futurum
esse duplicem conclusionis assensum patet, quia
per eadem media obscurè, & clarè cognita non
potest idem assensus conclusionis colligi: si ergo
Henric. vt cōtendit Henricus, articuli fidei, qui sunt prin-
cipia, essent euidenter noti, & simul fide crediti,
non colligeretur idem assensus obscurus, & cla-
rus eiusdem conclusionis. Assensus igitur clarus
posset esse vere, & proprie scientia.

CAPVT IIII.

Sententia Caietani.

Tertia opinio est eorum, qui dicunt Theolo-
giam posse bifariam considerari; primum se-
cundum se, deinde in viatoribus. Priori illo mo-
do, dicunt esse scientiam propriè, & perfectè, po-
steriori verò, non esse scientiam perfectam. Ita
docet Caietanus in hoc articulo. *Ad euidentiam*
huius, cum vero dicit, in viatoribus non esse perfectè
scientiam, intelligit non esse vere, & proprie. Sub-
iungit enim rationem his verbis: *Quia non vere scit,*
qui non vere scit *resolvere in principia euidentia.* Allert
igitur in viatoribus esse imperfectam scientiam,
hoc est, non vere & proprie scientiam ratione sta-
tus: & ideo putat, consultò non respondisse S.
Thomam absolute esse scientiam, sed esse scien-
tiam subalternatam, vt indicaret esse imperfectā,
& improprie scientiam.

Hæc sententia Caietani, quatenus asserit Theo-
logiam in viatorum non esse vere, & proprie scien-
tiam, inferius examinanda erit; ad hoc enim redu-
citur tota huius controuersie difficultas. Nunc
autem paucis ostendam, qua ratione diuisio illa
Theologiæ, secundum se, & in nobis, allata à Ca-
ietano, & ab alijs, sit intelligenda. Bifariam ergo
Caietanus accipit Theologiam, vnam dicit esse
Dei, & Beatorum; alteram verò viatorum: hanc
posteriorem rursus diuidit in Theologiam secun-
dum se, & prout est in nobis. Cum igitur ait Theo-
logiam secundum se esse verè scientiam, non lo-
quitur de Theologia Dei, quam ipse de seipso ha-
bet, de qua non est difficultas: est enim perfectis-
sima scientia, sed non vniuocè cum creatura, maxi-
me cum ea, quæ fit per discursum, quatenus definit
Aristot. 1. Posterior cap. 2. & de qua nunc est con-
trouersia. Qualis verò sit scientia Dei, videbimus
infra q. 14. Neque loquitur Caietanus de Theo-
logia quam Beati de Deo habent, quæ sane etiam
si sit euidentis, non est scientia; vt definitur ab Aristote-
le loco citato: hæc enim debet esse per discursum:
scientia autè Beatorum sine illo est. Omnia autè my-
steria fidei sunt illis per se nota: sicut Angelis sunt
omnia per se nota, quæ naturaliter cognoscunt per
proprie species, vt dicemus infra disput. 221. c. 2.

Quare fallitur Scotus quæst. 3. Prologi, quæst.
4. laterali, vbi dicit, Theologiam secundum se,
hoc est, in Beatis esse scientiam, vt definitur ab Ar-
istoteli, putat enim in illis eam fieri per discursum:
fallitur ergo, quoniam sicut de Angelis contra-

ipsum probabitur eos non discurrere, ita de Bea-
tis dicendum est. Intelligunt enim ea, quæ vident,
sicut reuera sunt, & ideo sunt illis per se nota. Lapsus
etiam est Bassolis loco inferius allegando cum
asserit etiam in Deo, & in Angelis Theologiam
esse vere scientiam, quia de ratione scientiæ (in-
quit ille) non est generari per discursum. Errat
autem, quoniam hoc solo differt intellectus à sci-
entia, quod hæc est per discursum, ille vero sine
discursu. In quo nobiscum conuenit Scotus, ideo-
que faretur Theologiam, quam Deus habet de se,
non esse scientiam, vt definitur à Logicis, sed su-
periori quadam ratione,

Cum ergo Caietanus asserit, Theologiam se-
cundum se esse scientiam, vt definitur ab Aristoteli,
intelligit planè Theologiam viatorum, non
quatenus est in illis obscura notitia ex principiis
solum creditis collecta, sed consideratam sine im-
perfectiōe obscuritatis: ea vero ratione dicit esse
scientiam, quia argumentum illius esset demon-
stratio, si principiorum haberetur euidentia: quæ-
admodum in mathematicis multa sunt demon-
strationes secundum se, quæ tamen alicui non ge-
nerant scientiam, quia ei non sunt principia eu-
identer nota, sed tantum fide credita. Atque in hoc
sensu vera est sententia Caietani. Est tamen diuer-
sa ratio de mathematica demonstratione, & de
Theologica, nam mathematica in aliquo potest
generare scientiam, in eo videlicet, qui habet eu-
identiam principiorum: at Theologica demonstra-
tio in nullo certè potest generare scientiam per
discursum: nam ille, cui essent nota euidenter
principia demonstrationis Theologiæ, discurre-
re non posset, sicut ille, cui sunt euidentia prin-
cipia mathematica. Principia namque Theologica
nulli possunt esse euidenter nota, nisi clarè viden-
ti Deum: hic autem discurrere non potest, vt pro-
xime dicebamus. Quocirca demonstratio Theo-
logica nulli potest esse instrumentum sciendi: est
tamen talis naturæ, vt si principia essent euiden-
tia tali modo, vt simul posset esse discursus, scien-
tiam generaret: veluti si alicui in hac vita commu-
cari posset euidentia mysteriorum per alienas spe-
cies. Cæterum præsens controuersia tantum est de
Theologia, quatenus in viatoribus actu reperitur
cum obscuritate principiorum, vtrum ea sit verè,
& proprie scientia.

CAPVT V.

Opinio Alberti, & Thomistarum.

Quarta sententia satis communis inter recen-
tiores est, Theologiam viatorum ex articu-
lis sola fide diuina creditis deductam, esse vere, &
proprie scientiam, non tantum secundum se, sed
etiam, vt est in ipsis viatoribus, imperfectam ta-
men in suo genere. Hanc sententiam putant re-
centiores esse S. Thomæ, sed quid ipse sentiat capi-
te sequenti videbimus. Referunt etiam pro ea ex
antiquis Theologis Antistodoressem, Bonauenturam,
& Egidium: ex quibus Antistodorenensis obi-
ter de hac re loquens docet oppositum. Egidius
vero in 2. parte Prologi, articulo. 2. disputans de
subalternatione Theologiæ inquit posse dici scien-
tiam, & ideo opus esse, vt articuli fidei, qui sunt
illius principia, in alia scientia, scilicet Beato-
rum, sint per se noti. Ex hoc tamen non sequi-
tur iuxta sententiam Egidij, Theologiam esse ve-
re, & proprie scientiam prout in nobis est, sed solum

Bassolis.

Caiet.

Theologia
secundum se
scientia est.

TO.

Demonstra-
tio theologi-
ca nequit
esse instru-
mentum sci-
endi.

II.

Theologiam
scientiam
imperfectam
asserunt.Bonauent.
Antistod.
Egidius.

Albert.

Canus.

Alcuin.

Prover.

Sapient.

Ierem.

Ratione

probat

Theologia

esse scientiam.

12.

Aristotel.

Hic genus

scientie Aristotelis inco-

gnitum.

13.

Aristotel.

S. Thom.

Sententia.

lum secundum se, ut dicebat Caietanus. Hanc tamen opinionem expresse tradit Albertus in Summa, tract. 1. quæst. 1. in corpore additis solutionibus argumentorum. Sequitur etiam Canus 12. lib. de loc. cap. 2. & recentiores Theologi. Demum Alexand. 1. p. q. 1. memb. 1. contendit Theologiam non tam esse scientiam, quam sapientiam eo, quod sit scientia de Deo, qui est causa rerum omnium: scientiam enim dicit esse de rebus tantum creatis: addit tamen Theologiam dici sapientiam à sapore affectionis, non ab euidencia rei cognita. An autem in rigore, & proprietate habeat rationem scientiæ, non disputat.

Probat autem primo, auctoritate Patrum, qui Theologiam scientiam appellarunt, quos aliqui recentiores referunt in hoc articulo. Secundum addunt, in sacris literis etiam scientiam appellari. Prover. 15. *Labis sapientum disseminabunt scientiam, & Sapient. 7. Ipse dedit mihi omnium, quæ sunt, veram scientiam, & Ierem. 3. Dabo vobis pastores, qui pascant vos scientia, & doctrina.* Tertiò ratione confirmant. Quia de conclusionibus Theologicis non habetur fides eo, quod ipsarum assensus non innitur testimonio tanquam proximo principio, sed ex creditis per testimonium deducitur: neque habetur opinio, quia hæc est per medium cui potest subesse falsum, ratione cuius opinio de re necessaria non est certus assensus, prout ex parte medijs consideratur: Sed non videtur aliud genus assensus, qui conclusionum Theologicarum esse possit, quam scientia; ergo de illis habetur verè, & propriè scientia.

Cæterum recentiores, qui hanc opinionem sequuntur, oppressi tandem difficultate farentur Theologiam quidem esse verè, & propriè scientiam, non tamen eo modo quo Aristoteles scientiam definiuit & cognouit. In eius enim sententia nulla potest esse propriè scientia, sine euidencia, vel, *Quia*, vel, *Propter quid*. Dicunt itaque, esse aliud genus scientiæ, quia ita procedit ex obscuris principijs, ut nihilominus eorum notitia certissima sit. Quem modum scientiæ idè ignorarunt Aristot. & Philosophi, quia non cognouerunt hoc genus principiorum, quæ fide diuina, obscura quidem, certissima tamen, creduntur. Quod si cognouissent, nec opinionem, nec fidem, sed scientiam, Theologiam nostram appellassent.

CAPUT VI.

Theologiam viatorum non esse propriè scientiam auctoritate probatur.

Vltima igitur sententia magis communis inter Scholasticos affirmat, Theologiam viatorum, ut in ipso est, non esse verè, & propriè scientiam. Eam imprimis tradit Antistiodor. lib. 2. Summæ tract. 29. c. 1. q. 1. in medio, ubi dicit cognitionem præceptorum acquisitam lumine naturali ex principijs per se notis, esse propriè scientiam: eorum verò præceptorum scientiam, quæ ex articulis sola fide creditis habetur, non esse scientiam sed potius si lem. Eandem docuit Sanct. Thom. ut statim dicetur. Scotus sub quæst. 3. Prologi in quæst. 4. laterali. Vbi cum doceat, Theologiam secundum se esse scientiam, hoc est in Deo, & in Beatis, etiam si sit sine discursu, negare videtur in nobis esse scientiam, & per illationem ex articulis fidei nos propriè aliquid scire. Sic interpretatur & sequitur sententiam Scoti.

Vazquez in 1. partem Theol. 11.

OKam quæst. 3. Prol. Idem aperte sentiunt multi alij Scholastici in Prologo Sentent. Dur. quæst. 1. num. 49. Gregor. q. 7. artic. 4. post medium, Thomas de Argen. q. 2. artic. 1. Marfil. q. 2. artic. 3. concl. 7. Gabriel. q. 7. ar. 1. notat, 1. Maior. qu. 4. Franc. Mairon (qui pro prima sententia allegabatur) q. 14. Prolog. Bassol. q. 5. arti. 3. in principio, præsertim vero §. de Theologia. Denique Ricard. qui pro quarta sententia refertur in 2. q. Prologi, potius in hanc inclinare videtur, & Henri. loco superius allegato, si supponamus, quod reuera certum est, videlicet principia nostræ Theologiæ non esse nobis euidenter nota.

Nec minus apertè S. Thomas in hac sententia fuisse videtur: nam q. 14. de veritate art. 9. sic ait, *Quæcumque sciuntur proprie, ac certa scientia, cognoscuntur per resolutionem in prima principia, quæ per se præsto sunt intellectui, & sic omnis scientia in visione rei præsentis perficitur; unde impossibile est, quod de eodem sit fides, & scientia.* Vbi non solum loquitur de scientia perfecta, sed etiam de ea, quæ pressè, & propriè scientia dicitur. Idem omnino dicit 2. 2. quæst. 1. artic. 5. in corpore. Cæterum in solutione 2. addit aliud, quod videtur esse contrarium. Afferit enim ex principijs fide acceptis ita probari aliquid apud fideles, si ut ex naturaliter notis apud omnes, ideoque Theologiam esse scientiam, ut in principio operis dictum erat. Hoc tamen ita explicari debet, ut S. Doctor in tam breui spatio sibi contrarius non sit. Dicit ergo, eodem modo apud fideles ex illis principijs aliquid probari, sicut apud omnes ex principijs per se notis, ea solum ratione, quia in Theologia talis est dispositio discursus, & syllogismi ex proprijs principijs, ut si ea essent euidenter nota, abique dubio generarent scientiam in nobis, sicut generat in omnibus discursus ex principijs per se notis. Nunc autem, quia principia Theologiæ fide accipiuntur, generant assensum, & probant solum apud fideles, sicut principia per se nota apud omnes alios. Ex hoc autem colligit, ipsam Theologiam esse scientiam, id quod intelligit Caiet. in eo art. secundum se, ut superiori cap. explicatum est, & in 2. art. huius quæst. etiam si appeller S. Thom. Theologiam absolute scientiam, quia tamen addit, eam procedere ex principijs demonstratis in superiori scientia, sola fide, & auctoritate acceptis, videtur (ut inquit Caietan.) appellare scientiam non simpliciter, sed secundum aliquid. Quocirca 22. q. 1. art. 5. *Ad hoc dubium*, docet idem Caiet. Theologiam in nobis viatoribus esse secundum se vere scientiam subalternatam, sed nondum habere statum scientiæ, quo usque continueretur cum euidencia principiorum.

Denique Sanctus Thomas in 3. d. 33. q. 1. art. 2. quæstiuncula 4. dicit, si esset aliqua scientia, quæ non posset reduci ad principia naturaliter cognita, non esset eiusdem speciei cum alijs scientijs, neque vniuoce scientia diceretur. Ex quibus colligitur, ad rationem assensus scientiæ necessarium esse, ut ei, qui videtur demonstratione, sint principia nota euidenter, & non sola fide credita. In quem sensum, præter Caietan. interpretatur mentem S. Thomæ Capreol. in 1. q. Prologi ar. 4. concl. 3. & ar. 3. ad 1. contra tertiam conclusionem, & Heruæus quodlib. 11. qu. 18. præsertim in solutione secundi.

Gregor.

Argens.

Franc. Mairon.

Bassol.

Ricard.

Henric.

14.

Expositio

S. Thomæ.

Caiet.

15.

Caietan.

S. Thom.

Capreol.

Heruæus.